

De sene avaro arcae incubante

Interpretes primae Horati saturae cum scriptorum testimonia satis multa adnotaverint, ad v. 70 s. tamen, ubi avarum saccis undique congestis indormire dicit, praeter A. Brinkmannum, qui in scholis hanc saturam explicabat, vasculum quoddam diu notissimum ab Astea medio fere IV. saeculo pictum commemorare omiserunt, quod R. Zahn, Antike VII 1931, 70 ss., addito egregio exemplo colorato tractavit (cf. eundem in opere Griech. Vasenmalerei III text. p. 178 ss A. D. Trendall, Paestan Pottery, Romae 1936, 26 ss. M. Bieber, History of the Greek and Roman Theater, Princeton 1939, 277). Hac imagine admodum iocosa duos fures videmus expressos, qui senem de arca nummaria detrahere contendunt; Zahn igitur rem ante ianuam geri suo ut videtur iure confisus dominum putat improbis illis hominibus, cum arcam e domo surripiissent, necopinato obviam factum denique spe praecisa corpus super thesaurum suum abiecerent. At quod iam pridem R. Weil, Arch. Zeit. 1879, 184, eum thecae copiosae indormivisse arbitratus est, Horati loco inspecto id nullo modo prorsus dubium erit, sive arcam una cum homine insuper imposito a furibus domo elatam esse suspicabimur sive alia quavis ratione e licentia scaenica argumentum restituemus; certe Horatianum illud ab archaeologis neglectum aptius in comparationem vocari potuit quam Aulularia Plautina, de qua Bieber monuit. Iam vero quid de hoc consensu erit iudicandum? Ad Luci-

lium, cui plus iusto in ea potissimum satura tribuerunt, hoc quidem loco nemo confugere potest, quoniam ille avarum cum bulga lacerto devincta cenare, dormire, lavare fecit (v. 244 ss., quos J. Jos. Iltgen, *De Horatio Lucilii aemulo*, progr. Montabaur 1872, 14, contulit). Credas igitur historiam ridiculam, cum e fabulis Phlyacum in comoediam Romanam translata esset, hinc ab Horatio assumi potuisse; non minus tamen probabile videtur etiam per „diatribam“ quam dicunt talia ad Romanos pervenisse, quod genus ad Horati poesin aliquid valuisse ut concederet, nuper W. Wili, *Horaz*, Bas. 1948, 20, 2, 265 s. 305, 2, aegre a se impetravit. Sed de hac re, si Deo placebit, alias plura.

Bonnae.

H. H.